

/ Serenissime Rex, Domine Clementissime. Magno me gaudio affe-
cit Majestas Vestra, cum litteris suis, decimo die Februarii da-
tis, significare dignata est, quam prospere catholica religio pro-
grediatur in regionibus sibi subjectis; nimirum benedicit Deus
5 studiis, et laboribus pientissimi, et fidelissimi cultoris sui. Nec
dubitamus, quin idem Deus amplificaturus sit imperium ejus Regis,
a quo Ecclesiam suam tanto zelo propagari videt. Quod vero atti-
net ad causam D.N. ob quam praecipue Majestas Vestra ex tam lon-
ginqua regione ad me scribere voluit, duo habeo, quae eidem Majes-
10 tati Vestrae reverenter significem: alterum est, me unum esse de
multis, qui Summo Pontifici, pro fidei catholicae integritate
servanda, in Officio S. Inquisitionis assistimus. Quare non ex ar-
bitrio meo negotia ista dependent: ad me pertinet sententiam meam
exponere, ad Summum Pontificem spectat quid sit agendum decerne-
15 re. Alterum est, D.N. de quo Majestas Vestra sollicita est, ante
duos menses e carceribus S. Officii emissum fuisse, et in Monaste-
rio fratrum Carmelitarum Discalceatorum collocatum: in quo Monas-
terio speratur brevi convertendus ad veritatem catholicae fidei,
tum hortationibus virorum doctorum, qui illum adeunt, tum etiam
20 exemplis piorum illorum Religiosorum, qui, praeter caeteros, in-
signi vitae sanctitate praefulgent. Haec habui quae Majestati Ves-
trae responderem; cui precor a Deo, cum diuturna vitae incolumi-
tate, prosperum exitum belli Moscovitici, et piorum suorum desi-
deriorum omnium complementum. Romae die 28 Maii 1618.